

tur Propositio, uel differtur in alium locum, sic tamen instituenda est Oratio, ut id, quo spectat in primis mens Oratoris, semper intelligi possit

## LXI

Scire uult animus noster, ut iudicare possit. Quare ut sciat, rei propositae rationes expectat, quibus redditis, fit Confirmatio, in qua ipsius Propositionis fundamenta insilunt

## LXII

Et si uero rei confirmatae tanta est uis, ut opposita eidem sententia, sua sponte, ex animis auditorum dilapsura uideatur, usu tamen uenit non raro, ut animus eorum, uel praeiudicatis opinionibus imbutus, uel uoluntatis quodam uitio auersus, assensionem sustineat

## LXIII

Cui quidem malo cum mederi soleat Confutatio, ad eam quoque, sicubi opus fuerit, deueniet Orator. Haec enim, quae sententiae nostrae aduersantur, conuellit, quae dubia sunt, firmat, quae obscura uidentur, ad liquidum perducit

## LXIV

Sed facilis est ex Confutatione aliorum in iram perturbationemque animi prolapsio. Quacum uti nihil recte fit, ita, in refellendis aliorum opinionibus, cauto peropus est

## LXV

Habet animus noster sublime quiddam, ut Fabius ait, & arrogantiae impatiens est. Itaque cauebit Orator, ne, refutandis aliis, sibi arroget nimis, eaque de causa immodestus esse uideatur

## LXVI